DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# RIGIDITATE FIBRARVM

QVAM

*DEO ADIVVANTE*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
ERN. AVG. CONSTANTINO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE, RELIQVA

*SVB PRAESIDIO*

GEORGII ERH. HAMBERGERI
PHILOS. ET MED. D. PHYSIC. CHIMIAE ET PRAXEOS P. P. O.
SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM STIRPIS ERNESTINAE
CONSIL. AVLICI ACAD. NATVRAE CVRIOSOR. SODALIS
MEDICI PROVINC. IENENS. ET FACVLTATIS
MEDICAE SENIORIS

PRO GRADV DOCTORIS
MORE MAIORVM LEGITIME OBTINENDO
DIE V. SEPTEMBR. AN. M DCC L.
ERVDITORVM EXAMINI PROPONEBAT

*AVCTOR*

IOANNES GOTTLIEB HANSCH
GEDANENSIS

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

*Q. D. B. V.*

§. I.

FIBRAS, ex quibus reliquæ partes ſolidæ corporis humani conficiuntur, generatim conſtare e particulis fluidis atque ſolidis, abunde ex phyſiologicis unicuique notum erit. Pro harum vero partium fibras componentium varia inter ſe proportione ac conditione variabit earundem cohæſio, ſic ut vel talis adſit, quæ ad ſtatum ſanum conſervandum exigitur, vel ea, qua præſente ſanitas haud diu perſiſtere poteſt. Si ultimum ſtatui fibrarum mox nomen *Rigiditatis*, mox *Laxitatis* a medicis imponitur. De priori cum in præſentibus agere animus ſit, neceſſe erit, ut tam eius, quam oppoſiti ideam evolvamus.

§. 2.

Eſt itaque *Rigiditas* fibrarum talis harum conſtitutio, ſub qua partes fibram conſtituentes maiori inter ſe cohærent gradu quam pro ſtatu naturali cohærere debebant, tota vero fibra tantum non cedit quantum pro ſanitate cedere debebat.

§. 3.

Illa contra fibrarum conſtitutio, qua partes fibram conſtituentes minori inter ſe cohærent gradu quam pro ſtatu naturali cohærere debebant, & tota fibra magis cedit quam pro ſanitate cedere debebat, opponitur præcedenti (§. 2.) & nomine *Laxitatis* venit.

§. 4.

Omne igitur illud, quod hanc cohæſionem partium fibras conſtituentium reddit naturali majorem, etiam ſtatum rigiditatis iisdem inducet, ſimulque ſanitatem turbabit; ubi enim conſtitutio non eſt naturalis, ibi etiam potentia naturalis exercendi decenter actiones, corpori humano competentes, eſſe nequit. Impotentia ergo dictas actiones decenter exercendi, i. e. morbus, ut adſit neceſſe eſt. Contra vero omne quod partium fibras conſtituentium cohæſionem ultra ſtatum naturalem minuit laxitatem cum ſanitatis jactura invitabit.

§. 5.

§. 5.

Corpora ſeſe immediate contingentia cohærere experientia quemlibet, qui in phyſicis modice verſatus rerum naturalium phœnomena obſervat, docet. Hæc vero cohæſio nullam quidem aliam cauſam immediatam efficientem, quam vim inſitam, qua corpora & corpuſcula minima ſeſe tangentia ſunt prædita, ſimul tamen, tanquam cauſam occaſionalem, ſufficientia contactus puncta agnoſcit (per princip. phyſica Illuſtr. PRAESIDIS.)

§. 6.

Prout itaque hæ duæ cauſæ variant, etiam cohæſionis gradus variabunt, ſic ut has leges ponere liceat:

1) Quod, poſito eodem numero punctorum contactus, quo major eſt vis, qua corpora ac corpuſcula minima ſeſe contingentia gaudent, tanquam cauſa efficiens cohæſionis, eo major quoque ſit cohæſio, et

2) Quod, poſita eadem vi inſita, quo plura adſunt contactus puncta, tanquam cauſa occaſionalis cohæſionis, vel conditio ſine qua non, eo fortior ſit cohæſio.

3) Quod quo major eſt vis inſita particularum ſeſe contingentium et ſimul quo major

numerus punctorum in quibus ſeſe contingunt, eo major ſit cohæſio.

§. 7.

His præmiſſis neceſſe erit, ut ea ad noſtrum caſum applicemus & videamus, qua ratione vel vis inſita particularum fibras componentium fiat major, quam in ſtatu naturali eſſe deberet, vel numerus punctorum contactus nimis augeatur, vel utrumque ſimul obtineatur. Hæc enim ſi efficere valeamus, facile erit cauſas cohæſionis præternaturalis & per conſequens rigiditatis indicare.

§. 8.

Medium, quo vim inſitam corporum cognoſcimus, eſt grauitas ſpecifica (per §. 148. Phyſic.); ſi igitur hæc creſcit, etiam vis eorundem fit major, hac autem decreſcente etiam vis euadit minor.

§. 9.

Grauitas ſpecifica particularum fibras conſtituentium, ideoque etiam vis, redditur major (§. 8.), ſi ratio partium leviorum ad ſpecifice graviores minuitur, ſive hoc ita fiat ut partes leviores abſumantur, & vel nullæ vel ſpecifice graviores tantum reſtituantur; ſive leviores antea præſentes maneant, eæ vero quæ de novo adpo-

adponuntur ſint ſpecifice graviores. Ad heterogenea enim corpora noſtræ pertinent fibræ, quippe ex levioribus & gravioribus ſpecifice particulis compoſitæ. Puncta contactus vero augentur, ſi fibræ fiant denſiores; ſive maneat numerus partium fibram conſtituentium, minuatur vero magnitudo fibræ, ſive maneat magnitudo, augeatur vero numerus partium fibram conſtituentium, ſive utrumque ſimul fiat; creſcat nempe numerus partium conſtituentium et ſimul decreſcat magnitudo. Augendo ſic gravitatem particularum fibrarum & puncta contactus, aut unum ſaltim ex hisce, non poteſt non cohæſio major ac fortior obtineri (§. 6.).

§. 10.

Quodcunque tali modo (§. 9.) gravitatem ſpecificam particularum fibras componentium reddit naturali maiorem, aut puncta contactus nimis auget, aut utrumque ſimul efficit, illud etiam pro cauſa cohæſionis præternaturaliter auctae et per conſequens rigiditatis earundem erit habendum (§. 7.).

§. 11.

Corpuſcula ſpecifice leviora, quæ, tanquam partes, noſtras conſtituunt fibras, ſunt

1) Par-

1) Particulæ igneæ,
2) aëreæ
3) aqueæ atque
4) ſpirituoſæ

Quicquid igitur unam vel aliquot horum corpuſculorum ſpeciem ex fibris demit, cauſam rigiditatis infert, quia rationem partium ſpecifice leviorem ad ſpecifice graviores minuit (§. 9.).

§. 12.

Num aëreæ atque ſpirituoſæ particulæ, quæ fibræ ſunt partes conſtituentes, ex eadem auferri queant, merito dubitare licet; nulla ſaltim certa experientia id hactenus evictum eſt. Igneæ vero ex omni corpore, in quo abundanter hærent, in omnia corpora non æque calida tranſeunt. Aqueæ quoque ex iis noſtri corporis fibris, ad quas aër externus accedit, v. gr. ex fibris cutis, oculorum, narium, aurium, faucium atque pulmonum evaporare ſolent: Ex internis vero fibris abeunt, partim quando hæ ſeſe contrahunt & aqueas partes in cava vaſorum propellunt, partim quatenus aqueæ ſanguini, in quo paucæ ſunt partes lymphaticæ, per vaſa tranſeunti, adhærent ejusque ſequuntur motum. Leviores ergo fibrarum partes, ſpeciatim aqueas, aufert, quicquid humidum maſſæ ſanguineæ

nimis

nimis diſſipat & ſic temperiem ſiccam infert, igneas vero, quicquid naturalem calorem admodum minuit.

§. 13.

Alter modus, quo ratio partium ſpecifice leviorum ad ſpecifice graviores in fibris minuitur, adpoſitio nempe novarum partium nutrientium ſpecifice graviorum, efficitur per talia alimenta, in quibus materies nutriens abundat, i. e. quæ multas partes ſpecifice graviores poſſident. Hæ enim partes, ſi ſatis ſunt attenuatæ & aſſimilatæ, vt vaſa minima nutrientia intrare queant, majori vi adhærebunt fibris, adeoque majori impetu in interſtitia particularum, fibras conſtituentium, penetrabunt, quam ſpecifice leviores, in fibris hærentes, reſiſtere valent, hinc has ex inſterſtitiis fibrarum propellent, earumque locum occupabunt & partes fient conſtituentes. Hoc vero facto, cum ſic numerus particularum ſpecifice graviorum, fibras conſtituentium & ſeſe contingentium, ſit mutata (§. 9.), non poteſt non fieri, quin etiam cohæſio mutetur, ita ut, quæ antea erat levis, nunc major ſit facta.

§. 14.

Humidum abſumendo fibras faciunt rigidas:

1) Quæ humidum blandum, quod omni momento ex corpore ſano abit, non ſufficienter reſtituunt;

2) ea quæ humores exagitant & reſolvunt, ut ſunt: calor major tam internus, quam externus, motus animi & corporis, non tamen nimis vehementes, his enim ſanguis rareſit, adeoque vaſa extenduntur & debilitantur, ſed tantum continuati, & quæ hos producunt;

3) quæ humores coagulant, minus enim tunc particulæ ad ſecretionem aptæ cum ineptis ad ſecretionem cohærent, minus ergo ſecretioni reſiſtunt, ergo, cæteris paribus, citius, adeoque & majori copia, ſecernuntur, quam ex ſanguine non coagulato;

4) quæ ſecretiones atque excretiones partium humidarum magis quam par eſt promovent.

§. 15.

Tales itaque cibi, qui fere nihil humidi continent, ut ſunt cibi duri, ſicci, fumo indurati, generatim omnes, in quibus terræ tartareæve particulæ abundant, aquoſæ vero ſunt in defectu, humidum, quod continua excretione conſumitur, non ſolum non reſtituent, ſed etiam adhuc præſens abſorbendo aut inſpiſſando nocebunt.

§. 16.

§. 16.

Pari modo humidum perditum non restituunt potus omissus, vel plane deficiens, vel non justæ qualitatis. Producunt enim siccitatem, dum vel non temperant, unde humores fiunt acres, serosæ funduntur, & tali modo humidæ partes majori quantitate evacuantur; vel, si potus sunt nimis spirituosi, motum majorem sangvinis excitant, transpirationem insensibilem aliasque excretiones justo plus augent, aut, serum & lympham præcipitando, partem aquosam nimis dissipant. In ultimo autem casu ea tantum quantitate sumti effectum dictum in massa sanguinea producunt, qua præcipitationem humorum in primis viis non exserunt.

§. 17.

Homines, qui temperie gaudent calida & sicca, aut frigida & sicca, dispositi sunt ad fibras rigidas; augent enim & facile admittunt mala, quæ a calore & motu continuato, vel potu omisso pendent (§. 14.). Ex eadem causa, sexus nobilior præ sequiori, adultiores præ junioribus ad illum statum inclinant. In illis enim humidum utplurimum a natura non adest in magna quantitate, accedentibus igitur causis, quæ illud adhuc imminuunt, facile rigiditas indu-

citur. Aetas ſenilis quoque inter cauſas rigiditatis remotas referenda eſt. Nutritio enim per totam hominis vitam continuat, ita quidem, vt partium ſpecifice graviorum, fibras conſtituentium, copia ſemper augeatur, id quod in phyſiologia exponitur. Crescit igitur cum ætate numerus partium ſpecifice graviorum in fibris relative ad leviores, ergo crescit cohaeſio, quæ tandem rigiditatem neceſſario infert. Oſſa ſenum ſeſamoidea, itemque cartilagines, arteriæ & membranæ eorundem in oſſa mutatæ, a poſteriori hanc theſin abunde probant.

§. 18.

Illi quoque non minorem humidi conſumtionem patiuntur, qui ſe aëri calido & ſicco ſæpius exponunt, & qui victu veſcuntur calefaciente aut admodum ſalito. His enim calor internus augetur, nam aër calidus non multas igneas partes ex corpore in ſe recipere valet, hinc his remanentibus, humores fiunt turgidi, vaſa expanduntur, motus eorum, hinc reſolutiones, fiunt majores. Aromatici cibi & potus fermentati, itemque ſalia media vel alcalia abundanter aſſumta idem efficiunt, fundunt enim ſerum, ita ut copioſiores ſequantur tam ſecretiones quam excretiones, & humidum e corpore propellatur.

§. 19.

§. 19.

Qui vitæ genus agunt laborioſum, aut corpus, quocunque id fiat modo, frequenti & continuato motu exercent, actionem ſolidorum in fluida reactionemque eorum augent, hinc motus progreſſivus ac inteſtinus, reſolutiones, calor & inde ſecuturi effectus, nempe humidi conſumtio, fiunt majores. Huc etiam referri posſunt lenes compreſſiones, frictiones & tenſiones. Compreſſionibus enim v. g. per faſcias, toti fere corpori adplicatis, non ſolum id efficitur, ut partes ſubjacentes impetum fluidorum minus ſuſtineant, quam ſi non fuiſſent ligatæ, pars enim impetus a faſciis ſuſtinetur, ſed & humidum ex interſtitiis fibrarum exprimitur; ex utraque vero cauſa fibræ fortius ſeſe contrahunt, & partes ſpecifice graviores magis ad contactum perveniunt, i. e. fibræ fiunt robuſtiores. Lenes vero frictiones & tenſiones partim, pororum dilatatione, majorem humidi efficiunt conſumtionem, partim affluxum materiæ nutrientis augent. Tales itaque homines præ cæteris, qui contrarium exercent vitæ genus, ad fibrarum rigiditatem erunt diſpoſiti.

§. 20.

Aſſumta acida, acido auſtera in minori

quantitate, ſic ut adſtrictione in primis viis non noceant, vel a ſuperficie noſtra ex aëre abſorpta, & iſta quidem quatenus terreas partes ſecum vehunt, vel easdem in corpore noſtro reſolvunt, & ſulphur ſolutum præcipitant, humidarum partium ſecretionem ex maſſa ſanguinea earumque e corpore noſtro expulſionem augent, eo ipſo vero humidi defectum (§. 14. n. 3.), partim vero graviorum appoſitionem juvant (§. 13.). Aequalem effectum edunt aſſumta ſpirituoſa (§. 16.). Præter hæc vero ſolidas partes irritando, has ad contractionem ſtimulant, qua humidum contentum exprimitur & ſic partes graviores veniunt ad contactum.

§. 21.

Secretiones atque excretiones humidorum ſeroſorum requirunt non ſolum aptitudinem fluidorum ad tranſeundum, ſed etiam ſufficientem ſolidorum aperturam ad transmittendum, & decentem vim moventem. Quæcunque igitur has cauſas adaugent, etiam effectus earundem reddent majores, ſcilicet ſecretiones atque excretiones ſequentur copioſiores, quæ vero humidi ſeroſi vel lymphatici imminutionem poſt ſe trahunt (§. 14. n. 4.). Efficiunt autem hoc (§. 17. - 19.) jam jam memorata, & purgationes frequenter uſurpatæ.

§. 22.

Ad ea, quæ partes leviores fibrarum absumunt, pertinent adhuc, quæ calorem majori gradu imminuunt (§. 12.), & sunt aër frigidus, cibi frigidi, potus frigidi, balnea & alia corpora solida frigida. Aër frigidus, maxime ventosus, tam in pulmone, quam cute, quia calor una cum aquosis particulis magna copia ex iisdem in aërem frigidum transit, proxime quidem fibras tantum pulmonum atque cutis, simul vero sanguinem, & serum per extrema tam pulmonum quam cutis vasa mota, refrigerat; ast, quia eadem fluida, in his corporis nostri partibus refrigerata, mox ad interiora redeunt, aliaque omni momento sequenti ad dictas partes accedunt & denuo refrigerantur, non possunt non successive tota massa sanguinea, &, ope hujus, omnes fibræ internæ, calore suo, gradu tamen vario, pro ratione nempe gradus frigoris in aëre, privari.

§. 23.

Dicto modo refrigerium fit naturale: experientia vero testatur in aëre temperato calorem nostri corporis nec augeri nec minui; unde fluit, tantum semper ignearum particularum copiam per aërem temperatum minui, quantum

tum in corpore noſtro eodem tempore eadem augetur. Qui vero tranſitus caloris ex uno corpore in aliud tanto copioſior eſt, quanto frigidius alterum eſt corpus, in quod igneæ tranſeunt, nunquam ex aëre refrigerium univerſale fieri poterit in corpore vivo & ſano, niſi aër eo gradu ſit frigidus, ut plures igneas auferat quam in noſtro corpore æquali tempore liberantur, & diu ſatis corpori humano adplicetur.

§. 24.

Cibi frigidi quippe aëre multoties ſpecifice graviores, majorem quidem longe ignearum particularum copiam, ex ea quam contingunt parte, auferunt, quam aër eidem parti adplicatus. Quia tamen non niſi parva copia ſimul adplicari poſſunt, quæ cito in noſtro corpore caleſit, non niſi particulare refrigerium fibris noſtris inferre valent; maximum nempe oris, linguæ & faucium partibus, quia his immediate, tanquam frigidi, adplicantur & toto maſticationis tempore his adplicati manent, minus vero in oeſophago, quia cibi in ore jam, durante maſticatione, ſaltim aliquo gradu calefacti ad oeſophagum accedunt, & per breve admodum tempus ibi permanent; minimo tandem gradu in ventriculo, niſi magna copia cibo-

ciborum frigidorum brevi deglutiatur tempore, tunc enim, quia in ventriculo colliguntur & diu in eodem ſubſiſtunt, pro ratione quantitatis magis vel minus ventriculi & vicinorum viſcerum fibras refrigerare ſolent.

§. 25.

Maximum tam humorum quam fibrarum internarum refrigerium obtinetur per frigidum potum magna copia hauſtum, ſive ſimul atque ſemel, ſive parva quidem ſæpius tamen reiterata hauriatur copia. Cibis enim gravitate ſpecifica parum eſt inferior, ergo gradu quoque frigoris iis quam proxime eſt æqualis, quia vero

a) major ſemper eodem tempore potus quam ciborum deglutitur copia,

b) potus in ore non maſticatur, ergo parum caleſit, et

c) tanquam fluidum parietibus oris, oeſophagi atque ventriculi exactius ſeſe adplicat quam cibi, magis quam hi refrigerare debet. Magis quoque humida quam aër refrigerant, ſi æquali adplicentur gradu, quia aëre ſunt ſpecifice graviora, ergo majorem ignis copiam quam aër ex corporibus auferunt.

§. 26.

Balnea frigida eodem modo ac potus frigi-

dus agunt, & quamvis externe tantum corpori noſtro adplicentur, haud minorem tamen, immo ſæpe majorem ignearum particularum copiam ex noſtro corpore auferunt, prout vel tanquam pediluvia, hemicupia, vel integra balnea, vel prout magis vel minus ſunt frigida, vel prout per breve vel longum tempus adplicantur, unde balneorum refrigerium eodem quidem modo ac aëris (§. 22.) eſt refrigerium univerſale, ad internas quoque fibras pertingens, gradu tamen longe majus.

§. 27.

Solida frigida, ſive manibus teneantur, ſive pedibus nudis ſuper eadem incedamus, ſive aliis noſtri corporis partibus adplicentur, eodem ac cibi agunt modo (§. 24.), magis tamen quam cibi nocere valent, partim quia cibis frigidiora eſſe ſolent, partim quia plura ſimul noſtri corporis contingunt puncta quam cibi; unde, ſi diutius adplicentur, etiam internas noſtri corporis fibras refrigerare queunt. Minus tamen ſemper quam balnea refrigerant, quia iſta minores partes & has in paucioribus punctis contingunt quam balnea. Non tamen ſemper neceſſe eſt, ut ſolida frigida noſtras partes immediate tangant, poſſunt enim refrigerare noſtrum corpus, modo hoc per plures horas iſtis ſit vicinum, ut ſi

quis

quis ſedeat in conclavi, cujus pavimentum eſt lapideum, vel ſi quis ita dormiat vel ſedeat, ut a pariete lapideo parum ſit remotus, aër enim lapidibus proximus ſemper eſt magis frigidus quam remotus.

§. 28.

Particulæ igneæ, quousque inter fibrarum noſtri corporis partes hærent conſtituentes, his ſemper minorem dant cohæſionis gradum quam ſi proxime ſeſe tangerent. Cum igitur omnes noſtræ fibræ ſint eleſticæ, i. e. gaudeant conatu ſeſe contrahendi, quam primum igneæ refrigerio ſunt ablatæ, impedimentum erit ablatum, partes ergo conſtituentes ad contactum perveniunt proximum, ergo magis cohærent quam cum igneæ eſſent intermediæ. Fibræ ergo, ſolis igneis majori gradu ablatis, fiunt rigidæ, quamvis iſtæ non ſint unica flexilitatis fibrarum cauſa: quousque enim igneæ in fibris hærent, omnium reliquarum partium, fibras conſtituentium, cohæſio imminuta erit, ergo his ablatis omnes fibram conſtituentes partes magis quam antea cohærent. Mortui a poſteriore hanc theſin abunde confirmant, quamuis enim nullæ fere particulæ humidæ ex mortuorum abeant fibris, omnes tamen articuli ſunt minus flexiles, quam primum calor ceſſavit.

§. 29.

Conſideravimus hactenus fibras quatenus a mutatis partibus ſuis conſtituentibus fiunt rigidæ, poſſunt vero etiam rigidæ fieri

a) quatenus ſunt ſenſiles, i. e. quatenus ad adplicationem cauſæ cujusdam irritantis ſeſe contrahunt, punctis ſimul fixis earundem non cedentibus,

b) quatenus conſtituunt parietes cavi cujusdam fluidum quoddam continentis, quo magis enim cavum eſt repletum, eo magis parietes erunt tenſi et rigidi. Cauſæ remotæ hujus rigiditatis ſunt vel vis quædam tendens, vel acre irritans, vel animi pathema, vel plethora nimia, vel ſpiſſitudo ſanguinis, præcipue inflammatoria.

§. 30.

Vis tendens eſt vel externa corpori adplicata, quorſum luxationes & fracturas refero, vel interna, eaque vel fibræ ſeſe contrahentes & connexas tendentes, vel fluida preſſa, ſive elaſtica, ut aër in inteſtinis, ſive non elaſtica ut ſanguis, ſerum præcipue, in motu ſuo impedita. Acre irritans vero ſunt ſalia, ſive alcalica, ſive acida, ſive media, ſive ſui generis, eaque omnia modo in corpore noſtro fiunt demum acria, modo tanquam acria eidem adplicantur, id quod per

omnia

omnia vitia diætæ, a §pho 13. hucusque exposita, fieri poteſt. Ex animi pathematibus vero, iram potisſimum atque terrorem rigiditas fibrarum ſequi ſolet, experientia teſte. Plethora nimia ex diæta prægreſſa; ſpiſſitudo ſanguinis non inflammatoria ex temperamento melancholico et magno corporis robore; diſpoſitio vero inflammatoria ex febre vehemente, præcipue continua, præſente, cum pulſu duro & urina aquoſa, vel calore externo nimio diu corpori, præcipue in motu conſtituto, adplicato, cognoſcitur.

§. 31.

Cognitis jam cauſſis rigiditatis, nihil amplius reſtat, quam ut ſigna tam diagnoſtica, quam prognoſtica exponamus & ultimo ea, quæ ad curationem ejusdem faciunt, exhibeamus. Diagnoſin rite formare medico res magnæ operæ & laboris erit, niſi cauſas prægreſſas in ſubſidium vocet ac cauſas naturales dictas ſciat et hæc omnia cum effectibus probe conferat. Prioribus ſi uti velit, bene ei debent eſſe nota, quænam diæta hunc ſtatum producat, & qualis conſtitutio eundem admittat, in quo caſu ea, quorum mentio in antecedentibus commatibus facta eſt, illi uſui eſſe poſſunt. Ex cauſis tamen ſolis non niſi ad rigiditatis poſſibilitatem con-

cludi poteſt. Quamquam enim dictæ cauſæ ſemper cahæſionem majorem partium fibras conſtituentium producant, non tamen omnis cohæſio major partium fibras conſtituentium rigiditas appellari poteſt, uti tam ex definitione (§. 2.) patet, quam experientia docet: Laborioſi enim homines fibras habent robuſtiores, quam qui quieto utuntur vitæ genere, & in omnibus hominibus, a primo ortu, conſtanter creſcit cohæſio partium fibras conſtituentium, manente ſemper ſanitate, quæ fibris rigidis factis manere nequit. Ex effectibus autem ſolis ad rigiditatem non, niſi remotis omnibus reliquis iſtorum effectum cauſis, concludi poteſt.

§. 32.

Si itaque aliquis de difficili reſpiratione, qua præcipue aſcendendo loca altiora afflictatur, conqueritur, & nulla alia cauſa, nempe viſcidum in bronchiis hærens, aut inflammatio ſuperioris vel inferioris ventris, plethora, debilitas ex morbo prægreſſo &c. poteſt inveniri, contra vero rigiditatis cauſæ præceſſerint, illa in rigiditate erit quærenda, ſive hæreat in pulmone ipſo, ſive in muſculis vel cartilaginibus pectoris. Et hæc eſt ratio, cur ſenes præ reliquis huic malo ſunt obnoxii. Porro ſi quis habet pulſum

parvum ſanguis vero & ſpiritus non deficiant, adſint vero ſigna acrimoniæ vel humidi blandi deficientis, cauſa hærebit in rigiditate arteriarum, qua cordi nimiam dant reſiſtentiam, ita ut ægre poſſint moveri.

§. 33.

Non minus bonum præbet ſignum rigiditatis præſentis fibrarum, parvitas vaſorum, inprimis arterioſorum, & rugoſitas cutis, ſi nec inopia nec vitioſa conſtitutio humorum in culpa ſit. Dependent enim tunc a fibrarum contractione nimia & elaſticitate majore, quibus expanſionem & repletionem ſufficientem impediunt. Ex hisce adhuc aliud fluit ſignum, quod in ſecretione atque excretione imminuta conſiſtit, e. gr. quando in duobus ſubjectis, ſub iisdem circumſtantiis poſitis, animadvertimus, unum præ altero difficilius ac tardius ſudorem fundere, certe concludere poſſumus, quod in illo, cui ſudor difficulter & tarde movetur, adſit rigiditas, niſi inopia vel ſpiſſitudo ſanguinis &c. ſudorem impediat.

§. 34.

Effectus noxius proximus & primarius, qui rigiditatem fibrarum ſequitur, eſt elaſticitas vaſorum

ſorum & reliquarum partium nimia, ob quam cava ſua, niſi plane parietes ſint indurati, coarctant magis quam pro ſtatu naturali eſſe debebat, & fluidorum impetui non vel parum cedunt, hac vero actione ceſſante, circulatio ſanguinis aliæque actiones corporis ſubſiſtere nequeunt. Has, ſi omnes in toto tollantur, ſequitur mors; ſi vero quædam tantum turbentur, impotentiæ movendi, minimum proportionate, & transmittendi, ſeu obſtructiones, ſequuntur. Obſtructiones ergo a medico obſervatæ, quatenus poſſunt eſſe a rigiditate, poſſunt etiam eſſe ſignum rigiditatis, & ſunt actuale rigiditatis ſignum, ſi cauſæ ejusdem præceſſerint. Prognoſis vero ex tali obſtructione, a rigiditate orta, eſt, quod tanto difficilior ſit curatio, quanto antiquior eſt cauſa, et quod tanto magis ſit periculoſa, quanto plures fibræ ſunt rigidæ vel quanto magis rigidæ fibræ ſunt fibræ organorum ad vitam vel ſanitatis conſervationem neceſſariorum.

§. 35.

Rigiditas univerſalis cognoſcitur modo ex pulſu duro, id quod in junioribus potisſimum locum habet, modo ex pulſu tardo & raro, uti in ſenibus, modo ex conſumtione corporis, ſive ex

ætate

ætate ſive ex morbo, id quod in omni ætate locum habet. Producit vero eadem

a) motum ſanguinis progresſivum imminutum, potisſimum ob vaſa extrema coarctata, ergo

b) motum inteſtinum aut non ſufficientem, aut in deſtructionem maſſæ ſanguineæ tendentem, ergo

c) ſecretiones & depurationes impeditas;

d) ſtagnationes in extremis, interdum etiam in ramis arterioſis majoribus;

e) corruptionem materiæ ſtagnantis haud raro putredinoſam ſeu gangrænoſam, pro varia corporis ætate vel conſtitutione modo ſubitaneam, modo lentam, ergo mortis periculum;

f) ſpirituum ſecretionem impeditam, ergo robur vitale imminutum, ex quo

g) actiones omnes fiunt lentæ, idque tanto magis, cum ſimul fibrarum muſculoſarum rigiditas non niſi tardum ſanguinis & ſpirituum admittat influxum, et ligamentorum rigiditas omni articulorum flexioni reſiſtat.

h) ſenſuum hebetudinem; partim ob ſpirituum defectum, partim quia nervorum membranæ rigidæ viribus applicatis minus cedunt quam flexiles, partim quia haud raro nervi ſunt conſtricti vel compreſſi, & paralyſes diverſi generis.

neris. Quodſi igitur modo adducta vel ſimilia in corpore humano obſerventur ſymptomata, & cauſæ rigiditatis præceſſerint, tuto ad rigiditatem, minimum tanquam concauſam dictorum ſymptomatum, concluditur.

§. 36.

In partibus effectus rigiditatis pro officio cujuslibet partis erunt varii. In oculis enim viſus imminutionem itemque presbiopiam; in auribus auditum difficilem, in oeſophago, ciborum præcipue deglutitionem impeditam infert. Pulmones ſi ſint rigidi, reſpirationem reddunt impeditam ac difficilem. Pondus enim aëris, præcipue in locis altioribus, non amplius ſufficit membranis pulmonum ridigis decenter dilatandis; quamvis ergo pectus dilatatur, novus tamen aër neceſſaria quantitate non ingreditur. Coarctantur potius cellulæ pulmonum, ex magno membranarum rigidarum conatu ſeſe contrahendi, & ſic ſucceſſive magis magisque quantitas aëris, in pulmones admittenda, decreſcit, ergo etiam refrigerium ab aëre denuo intrante expectandum. Magno igitur conatu magnoque gradu pectus eſt dilatandum, ut aër inter pulmones & pleuram hærens magis rarefiat, & ſic reſiſtentia in pectore magis

immi-

imminuatur. Tunc enim aër pondere ſuo etiam rigidarum membranarum reſiſtentias facilius ſuperare poterit. Occurrit hocce malum frequenter in ſenibus ſub aſthmatis ſenilis nomine & maxime ſeſe exhibet quando motum exercent, præcipue ſi per acclivia adſcendunt, tum enim ſangvis magis commovetur, calefit & expanditur, hinc & majus refrigerium majorque veſicularum pulmonalium expanſio eſt neceſſaria quam tempore quietis,quæ vero, ob rigiditatem, non fieri poteſt; remanebit igitur magna quantitas ſanguinis non condenſati in pulmonibus, qua pondus pulmonum augetur, & ſic nova accedit reſpirationis impeditæ cauſa, quæ, niſi breui auferatur, ſuffocationem creare poteſt. Simili fere modo impediunt reſpirationem cartilagines coſtarum rigidæ, immo oſſeæ factæ. Hæ enim flexiles & ſatis mobiles eſſe debent, ut pectus poſſit ſufficienter ampliari & reſpiratio decens fieri; contrarium autem cum in hoc caſu adſit, etiam reſpiratio lædi debet.

§. 37.

Ventriculi parietes ſi evadant iuſto rigidiores, ipſe ventriculus neceſſaria ciborum quantitate repleri nequit, quamuis appetitus & vires majorem quantitatem deſiderent. Immo contrahi-

tur magis magisque ventriculus, ut tandem non nisi minimam recipiat quantitatem. Idem si fiat in œsophago, tandem nil, nisi jusculorum parva quantitas, deglutiri potest. Sphincteres ani aut vesicæ si rigidi fiant, excretionem partium excernendarum impediunt, quia viribus moventibus nimis resistunt; unde mala, quæ ex harum retentione oriri possunt, inducunt. Vterus rigidus menstruorum fluxum interrumpit & sic pro cuiusvis partis functionibus, quæ cuilibet ex physiologicis erunt notæ, actiones lædit rigiditas.

§. 38.

Rigiditas non omnis curationem admittit, illi enim, cui ad talem gradum jam provecta est, ut ex vasis fibræ sint factæ, omni adhibita medici industria numquam status pristinus redditur, quod senum exempla satis superque confirmant. Quicquid igitur in tali statu adhuc efficere valemus in eo consistit, ut omni studio ulteriorem coalitum præcaveamus. In quo casu eadem, quæ in sequentibus trademus, in usum vocari possunt.

§. 39.

In junioribus tamen vel mediæ ætatis hominibus, si recens sit malum, curatio locum habet,

bet, quia vaſorum in fibras coalitus, præcipue in ſanguineis vel phlegmaticis, brevi tempore fieri nequit. Exſiccari enim debet fluidum, ſi plenarius inde fieri debeat coalitus, id quod, quia in corpore fit humido, aliquot minimum ſeptimanarum requirit tempus. Ipſa vero curatio abſolvitur omnibus iis, quæ cohæſionem reddunt minorem. Cum itaque omnis cohæſionis majoris cauſæ ſint, vis inſita major, aut numerus punctorum contactus auctus partium obſtruentium vel fibras conſtituentium, aut utrumque ſimul, (§. 10.) cohæſionis majoris adeoque & rigiditatis imminutionem juvabunt, quæ dictas cauſas, vel ſaltim unam ex illis, quantum fieri poteſt, imminuunt.

§. 40.

Partes fibrarum vel alias p. n. cohaerentes quodlibet quidem potenter reſolvens a contactu ſeparare valet; aſt cum in cura non deſtructio, i. e. plenaria cohæſionis ſublatio, ſed ejus tantum imminutio requiratur, vix alia quam emollientia & blandiſſime reſolventia locum habebunt.

Inter hæc primaria ſunt:

1) Juſcula, ſive ex animalibus ſive vegetabilibus parata, parum vel non ſalita, calida, ſæpius quidem, omni nempe hora, vel hora dimi-

dia ad uncias tres vel duas ſumta, his enim ſi repleantur vaſa, a) impetus in materiam vaſa obſtruentem, ſi quæ adſit, augetur, b) maſſa ſanguinea diluitur, adeoque propulſio materiæ obſtruentis non fit per aliam aeque viſcidam vaſaque obſtruentem, c) vaſa non obſtructa, ſeu non coalita extenduntur & emolliuntur, qua extenſione d) etiam orificia vaſorum non amplius apertorum expanduntur, novusque fluido diluto & emollienti ingreſſus paratur, e) vaſis vero materia viſcida quidem, non tamen coagulata vel exſiccata, obſtructis, reſiſtentia imminuitur ut materiam contentam vel retro, vel in venas, elaſticitate ſua propellere novoque fluido emollienti, reſolventi & dilatanti ingreſſum concedere queant.

2) Si in extremis partibus, cute nempe, vel ei haud profunde ſubjacentibus, hæreat rigiditas, lenis frictio; hac enim fibræ rigidæ leniter extenduntur, partes earundem a contactu paululum ſeparantur, ergo robur fibrarum imminuitur, ergo fluidum, in vaſis majoribus hærens, tam ex preſſione, quam adhæſione, facilius penetrat fibrasque antea rigidas denuo emollit.

§. 41.

Iuſcula quæ huc ſpectant parantur ex carnibus

bus animalium juniorum concisis, vel ex radicibus sisari, tragopogon, scorzoneræ, chinæ, sarsæparillæ, quibus parum radicum graminis vel taraxici addi potest, vel ex aliis oleribus lenioribus ut fabis, pisis recentibus viridibus, rapis, lactuca &c. Frictiones vero vel penicillo vel digitis, hisque vel nudis vel linteamine munitis, iisque vel siccis vel ope olei aut unguenti emollientis, simul adhibitis, fieri possunt.

§. 42.

Vim insitam seu gravitatem specificam particularum fibras constituentium mutare non in medici potestate positum est, quia hæc a summo creatore cuilibet corpori est concreata. Cum igitur nihilominus mutationem aliqualem obtinere volumus, hoc nullo plane alio modo fieri poterit, quam si particulis gravioribus alias leviores interponamus, sic quidem gravitatem unius ejusdemque particulæ non mutamus, ast, in toto complexu consideratis, contingentium sese partium grauitas specifica mutatur.

§. 43.

Impetramus hoc eodem modo & iisdem remediis §pho 40. & 41. adductis, quibus aqua tepida, vel, ut hæc diutius in vasis maneat, massæque

san-

ſanguineæ, ſi forte hæc ſpiſſa ſit, melius commiſceri queat, decoctum auenaceum, hordei cum ſcorzonera, panis toſti &c. addi poſſunt. Parem uſum præſtabunt emulſiones ex ſeminibus 4 frigidis majoribus, cannabis, amygdalis dulcibus, nucleis pini, piſtaceis &c. cum aquis ceraſorum nigrorum, ſcorzoneræ, florum tiliæ, ſambuci, decocto auenaceo, cum vel ſine ſyrupo dialtheæ vel papaveris ſimplicis. Etiam ſerum lactis non acidum ſæpius hauriri, & oleum amygdalarum dulcium reces in moderata quantitate, ſed non a ſenibus vel infantibus, ob coctionem debilem, aſſumi poſſunt.

§. 44.

Aliquando etiam, ſi nempe rigiditas eſt univerſalis vel etiam in inteſtinis, renibus, meſenterio, pancreate vel hepate hæreat, clyſteres emollientes ex radicibus altheæ, maluæ, glycyrrhicæ, liliorum alborum, herbis 5 emollientibus, paridis, chamomillæ, floribus verbaſci, meliloti, ſeminibus lini, fœnu græci, auena excorticata, caricibus pinguibus, cum oleo oliuarum, liliorum alborum atque vitello ouorum ano injici poſſunt, quibus, licet non in omnibus ſubjectis ex inteſtinis craſſis, vaſis

veno-

venoſis aliquid abſorbeatur, inteſtina tamen & adjacentes partes relaxantur ac emolliuntur.

§. 45.

Nec balnea vel pediluvia ſunt omittenda, hæc enim non fibras pedum ſolum, & quæ his proxime connectuntur, ſed etiam, quatenus penetrant humidæ partes & cum ſanguine venoſo mixtæ reliquis advehuntur corporis partibus, remotas emolliunt & humidum in toto corpore augent. Conſtare vero poſſunt ex radicibus malvæ, altheæ, cichorei, taraxaci, herbis 5 emollientibus, hyoſcyami, abſinthii, paridis, ſcordii, ſaponariæ, ſtipitibus fabarum, ſeminibus fœnu græci, lini, altheæ &c. quibus, pro arbitrio ſelectis ac præparatis, pedes extremi, vel integri, vel dimidium corpus ad umbilicum usque, immittantur, per dimidiam vel integram horam in iisdem retineantur, & hoc bis vel ter de die repetatur. Ex his etiam fotus poſſunt parari & partibus affectis imponi.

§. 46.

Sæpe etiam, haud absque magno fructu, adhibentur balnea vaporoſa ex animalium corporibus, dum horum ventribus diſſectis membra rigida immittuntur & eo usque in iisdem, donec

calor minuatur, conſervantur. Non enim ſolum omnes halitus, quia ex ſingularibus, minime vel parum inter ſe cohærentibus, conſtant particulis, potentius quam liquidorum applicatorum particulæ, ſed & ſpeciatim animalium calidorum halitus, promte penetrant & emolliunt, ob ſpiritus animales copioſe commixtas. Unde jam antiquisſimis temporibus Iſraëlitarum regi Davidi puellam juniorem adplicatam legimus. * Nec non conducunt vapores aquæ tepidæ per ſe, vel cum floribus ſambuci, liliorum alborum, fabarum &c. coctæ, naribus & ori admoti. Halitus enim hoc modo attracti perveniunt ad cellulas pulmonum interiores, ubi vel a vaſis venoſis abſorbentur, ſanguini miſcentur & ſic reliquo corpori communicantur, vel ſaltim ipſas pulmonum fibras rigiditate laborantes emolliunt. In forma halitus vel fotuum lac quoque calidum, aut aqua cui ſpecies emollientes incoctæ ſint, ano poſſunt applicari, ſi hujus ſphincter ſit induratus.

§. 47.

In iis, qui medicamenta interna averſantur, etiam inunctiones cum oleis infuſis, expreſ-
ſis

* 1. Reg. I. v. 1. ad 4.

ſis vel coctis, aut unguentis emollientibus, locum habent, ita ut ſpina dorſi & aliæ partes iisdem oblinantur. Tales litus poſſunt componi ex oleis ovorum, chamomillæ, liliorum alborum, medulla vitulina, butyro inſulſo, unguento dialtheæ, aureo &c. cum unguento nervino vel paucis guttulis olei lavendulæ vel rosmarini deſtillati.

§. 48.

His vero omnibus nondum acquieſcendum, ſed ſedulo inſuper debent evitari, quæ humidum poſſunt ullo modo conſumere, (§. 15. 16. 18. ad 22.) contra vero talia debent eligi, quæ reſiduum humidum in corpore tam conſervant, quam augent. Sic victus ſit aquoſus, non vel parum ſalitus; qui conſtare poteſt, in robuſtioribus, ex farinaceis dilutis non fermentatis, in aliis, ex oleribus mollisſimis cum aqua aut jure carnium coctis, ſero lactis, lacte ipſo &c. Quies animi & corporis omni modo commendetur, præcipue quies & ſomnus in aëre moderate calido ac humido, hic enim non ſolum humidum non abſumit, ſed potius adhuc, quatenus vapores ejus a vaſis cutis abſorbentur, auget. Immo ſolo decubitu quie-

to ſub lecto, in aëre moderate frigidiusculo, fibræ noſtri corporis emolliuntur. Aër enim frigidiusculus ſudorem impedit, & vapores, quibus aër ſub lecto brevi repletur, humidi e vaſis cutaneis in aërem tranſitum impediunt; fibræ ergo cutis eousque a retento humido emolliuntur, ut etiam clavi pedum a cute ſecedant, id quod in foemina quadam, quæ per 13. ſeptimanas ſub lecto decubuerat, factum ſcimus.

# SOLI DEO GLORIA.

CLA-

*CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE*
*MEDICINAE DOCTORANDO*

# IOH. GOTTLIEB HANSCH
S. P. D.
## PRAESES.

---

Cvm omnia officia, quae a ſtudioſo optimae notae deſiderari queunt, exacte in noſtra expleueris Academia, non poſſum non quin Te amem. Specimen inaugurale, quod mihi exhibuiſti, egregie quoque demonſtrat benedictionem Diuinam Tuis adfuiſſe ſtudiis, vnde honores doctorales, mox ex merito capeſſendos, ſincere, et Tibi, et Parenti Tuo plurimum reuerendo, gratulor. Secundet ſummum Numen aeque praxin Tuam medicam ac ſtudia Tua, Tibique ſanitatem conſtantem ad ſeros vsque annos benigniſſime largiatur, ſic nihil Tibi, quod ad felicitatem, et aegrotis, Tuae curae committendis, quod ad ſanitatem deerit. Vale. Dab. d. 1. Sept. MDCCL.

* * *

*CLARISSIME DOMINE DOCTORANDE,*
*AMICE CARISSIME*

INTER felicisſima, quæ parentibus contingere posſunt, præcipuum ſibi vindicare locum, ego quidem puto, filium tum virtutibus tum eruditione ornatum. Non eſt mihi, Amice carisſime, quod in *Tuas* laudes pluribus excurram: *Te* enim nihil hic egiſſe, niſi quod laude dignum eſt, quis eſt, qui neſciat? Gratulor potius *Tuo* Seni ac Venerabili Parenti de filio optimæ ſpei. Gratulor *Tibi* de honore mox capeſſendo ac meritis *Tuis* dignisſimo. Gratulor denique & mihi de amico docto, fide ac vero.

Quod ſupereſt, ex animo opto, ut iter, quod meditaris, feliciter facias, &, ſi redirem in patriam, non recuſes, rogo, porro amare, qui ſincerrima cum mente eſt

*CLARISSIME DOMINE DOCTORANDE,*
*AMICE CARISSIME,*

Ienæ, d. 28. Auguſt.
MDCCXXXXX.

TIBI
amicus deditiſſimus
EMAN. WVNDSCH,
Mariæburgo Pruſſus.
Med. Ddus. OPPONENS.

---

QVID tanti plauſus? Cur nectit Hygea coronam?
Cur hodie huicce Deæ templa dicata patent?
Hæc TIBI templa patent, TIBI nectitur hæcce corona,
Et tanti plauſus TE celebrare ſtudent:

Et

Et quis amicorum nunc plausus edere nollet?
Cum TE pro meritis præmia tanta beant.

Hæcce Clarissimo atque Doctissimo Domino Doctorando in memoriam sui gratulabundus apponere, seque amicitiæ atque favori ejus ulteriori commendare voluit.

B. L. HINTZ, Gedanens.
OPPONENS.

---

HANSCHIVS ascendit cathedram, jam plaudite musæ,
Ite manus hilares ad pia sacra meæ.
Nunc, nunc frons lauri frontem circumdat Amici,
Nunc splendore tuas cerno micare comas.
Nunc o Musa mihi succurre meoque labori,
Flectere quo numeris carmina læta queam.
Sed jam Musa negat mihi opem; neget illa, quid obstat?
Cum mea non possit vota negare Tibi:
Vive diu felix, videat Te patria magnum,
Sum, dum vivo, tuus, Tu memor esto mei.

Hisce Doctissimo Domino Doctorando summos in arte medica honores mox capessendos gratulatur, seque amicitiæ Ejus dudum sibi probatae commendat.

ANTONIVS TRVHART,
Ged. M. C.
OPPONENS.

---

Freund zu Hygeens Dienst von Ewigkeit beruffen,
Wie würdig steigt Dein Fuß auf ihres Lehr-Stuhls Stuffen,
Ich soll ein Zeuge seyn.
Sie läßt Dir schon den Preiß, den Lorbeer-Krantz ertheilen.
Die Freundschaft, durch Dein Wohl gerührt, schickt diese Zeilen
Zum ewgen Denckmahl ein.

Dein Ruhm wird hier von mir auf keine Art erhoben,
Dein eigenes Verdienst kan Dich schon sattsam loben,

Auch

Auch wünsch ich Dir kein Glück;
Denn dieses kanst Du nicht durch meinen Wunsch erlangen,
Wir müssen es allein erwarten und empfangen
Vom gütigen Geschick.

Doch weiß ich gantz gewiß, da Dich die Tugend führet,
Da Dich die Weißheit selbst im reichsten Maasse zieret,
Es folgt das Glück Dir nach.
Wie gerne sucht ich hier, in wohlgetrofnen Bildern
Die Freude, die Dein Glück in mir erregt, zu schildern,
Wär nicht mein Kiel zu schwach.

Hiemit empfiehlet sich des Hochgelahrten Herrn Doctorands ferneren Freundschaft, Desselben ergebenster Freund und Diener

**Iohann Gottfried Gallesky,**
aus Pohlnisch Preußen,
der Artzeney-Kunst Beflissener. OPPONENS.

---

Da Dich Hygea ruft, Dich ihren Liebling nennt,
Und Dir den Doctor-Hut nach Würden zuerkennt;
So darf ich nicht den Ruhm, Gelehrter Freund! erheben,
Der Deine Gründlichkeit in Wissenschaften krönt,
Beeifrungs-voll must Du den ewgen Ruhm erleben,
Von dem Dein Vaterland bey Hanschens Nahm erthönt.

Diese wenige Worte fügte bey der erhaltenen Doctor-Würde eines seiner theuresten Freunde, als ein Zeichen seiner wahren Ergebenheit Glückwünschend hinzu

J. * * *

---

DOCTA Salana *Tibi* jam summos tradit honores
Et meritis offert præmia digna *Tuis*
Gratulor & lætus *Tibi* longas apprecor annos,
Aegris ut posſis commoda ferre diu.

His Doctisſimo Domino Doctorando, Amico suo æstumatisſimo summos in arte salutari honores gratulari voluit

I. G. BARENDT, Gedanenſ. M. C.

✽✽ )( o )( ✽✽

4(7)